





31
7

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
CHOCOLATA
INDORVM,
EJVSQVE VIRIBVS MEDICIS,

QVAM,
AVXILIANTE NUMINE DIVINO,
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,
PRENOBILI, CONSULTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO VIRO,
DN. D. HERMAN. PAVLO JVCH,

SACRI PALATHI CAESAREI COMITE, FACULTATIS MEDICAE SENIORE, PA-
THOL. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORE PRIMARIO, SERENISS.
SAX. DVC. VINARIENSIS, ISENACENSIS ET GOTHANI CONSIL.
AVLICO ET ARCHIATRO, N. N. ACAD. CAESAR.
NAT. CVRIOS. COLLEGA,

AMPLISSIMO MEDICORVM ORDINE IN PER-ANTIQA
HIERANA GRATIOSE INDVLGENTE,
P R A E S I D E

DN. D. IVONE JOANNE STAHL,

EMINENT. ELECT. MOGVNT. CONSIL. ET ARCHIAT. FAC. MED. ASSESS. ORD.
ANATOM. CHIRVVG. ET BOTAN. PROFESS. PVBL. ORDIN.
NEC NON CIVITATIS CONSVLE,

PATRONO AC PROMOTORE SVO COLENDISSIMO,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA
DOCTORALIA RITE OBTINENDI,

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

JO. MARTIN. JOSEPH. ESCHWEILER,

Erffurtensis.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.
DIE VII. NOVEMBRIS, M DCC XXXVI.

ERFORDIAE, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

RESERVAZIONE UNIVERSITÄTIS SACHSEN-ANHALT
IN
CHOCOLATA
INDORVM
EIVSQUE VIRIBVS MEDICIS
MAGISTRO
RECTORI
DR. BIERMAN PAULOVICH
AMPLISSIMO MEDICINAE ORDINE PER ANNO
DR. D. WONE JOHANN STALL
PRO FICHTIA
JOHANNES JOSEPH ESCHWELER
IN APUD MARIAM COLLEGIUM HORTI CONSTITUTUM
DIE VII NOVEMBRIS MDCCLXXII
APOSTOLICE SÆCIS HEREDITARIIS LIBRARIIS





DISSERTATIONIS INAUGVRALIS MEDICÆ
DE
CHOCOLATA INDORVM
EIVSQVE VIRIBVS MEDICIS,
PROÆMIVM.

Singulis olim terris sua suffecisse re-
media pariter, ac alimenta & po-
tulenta, pristinus Medicinæ status,
simplicissimaque majorum nostro-
rum vivendi ratio satis abunde
comprobant & ostendunt; mutato vero ho-
minum & seculi genio, cum ingravescente tur-
pissima illa vorandi potandique libidine in dies
auctam fuisse medicamentorum farraginem,
ita ut, postquam peregrina tum alimenta, tum
condimenta placere cœperunt, etiam remedia

foris repetenda duxerint quotidianæ novi-
 tatis studiosi mortales, ipsa satis superque
 commonstrat experientia. Cum enim, quam-
 diu temperantiæ studebant hi ipsi, paucis quo-
 que tentarentur morbis, quique eveniebant,
 domesticis ac facile parabilibus brevi plerum-
 que cederent remediis, meritò utique auctâ
 tandem ingluvie & peregrinorum appetitu, æ-
 gritudines quoque in immensum crevere inge-
 niumque mutavere, ut propterea, juxta nor-
 mam decantatissimæ istius legis, quod *crescen-*
tibus delictis crescant pœna, pariter etiam mul-
 tiplicatis causis sanitatem destruentibus, mor-
 bisque ipsis exacerbatis, remedia proportiona-
 tē augeri & variè immutari debuerint. Sorde-
 re hinc incipiebant domestica nostrisque in
 oris parabilia, (quamvis elementorum affinita-
 te corporis nostri constitutioni magis congrua,) &
 ob vulgatissimum illud gulæ vitium, lin-
 gua, quotidianis usibus attrita, novo semper
 deliniri sapore gestiebat, aded, ut in medica-
 mentis non solum, ubi non omnino spernen-
 da, sed apprimè interdum necessaria est varie-
 tas, sed & in alimentis, licet paucis contenta sit
 Na-

Natura, imò, quod pejus adhuc est, in *potu-
lentis*, quorum simplicissima etiam utilissima
sunt, novitatem pariter ac raritatem continuam-
que vicissitudinem amet & exoptet acutissi-
mum & exercitatissimum illud gustus orga-
non; unde etiam, licet aqua unicum pristinis
temporibus fuerit antecessorum nostrorum de-
licium, nunc tamen, post monstrata vina, post
liquatam artificio Cererem, & post tot alterius
orbis delicatulos potus, ad fontes redire velle
& ingratum, & corpori damnosum, citra
omnem sapè rationem, reputat, manifesto sa-
ne indicio, in eo plurimum peccare mortales,
quod quæsitæ ac obrentæ oris gratiæ nimium
indulgeant; sicque appetitu sollicitati innumera
vitia in corpus, insatiabili gulæ non semper
suffecturum, transmittant, non considerantes,
quòd nimium offendere quidem linguam non
debeat, quòd corpori est profuturum, nec ta-
men etiam plus quam par est eidem blandiri,
quòd nociturum est.

Mirum igitur haud est, tot etiam *Potuum*
species intra non adèd longam annorum se-
nem undique vel inventas, vel aliunde mutua-

ras & introductas esse, tam necessitatis & sanitatis, quam potissimum voluptatis causâ, cum vix unica in vastissimo terrarum orbe adedò inculta & barbara gens occurrat, quæ, præter ordinarium & quotidianum, non aliquem singularem, gustui suo blandientem, invenerit, ut animum non nihil mutet & tristitiâ affectum vel gaudio excitet, vel blandâ soporis nocte obducatur. Habent hinc ex Oryzâ *Anac* suum Indi; Africani *Vinum de Palma*; ex Mandioca, Batatas, Aipii, Acaju, Saccharo aliisque, adspersâ foedâ anicularum salivâ, Americani potum ad invidiam jucundum & inebriantem. Sic & Tartaros ex lacte suam conficere *Siceram* necessitas impulit; Lithuani Russique *Mulso* & *Medone* exultant; Galli suum *Cidre* extollunt, quod, si vina excipias, non tam ad potum, quam itidem ad inebriamen inventum est. Germani nostri non solum tot *Cerevisiarum* speciebus abundant, ut singulæ ferè urbes peculiarem sibi vindicent, variaque pro aquarum, ingredientium & mixturæ variatione, ipsis elogia tribuant; sed & varia generosorum *Vinorum* genera hæc crebrò interponunt, quorum

rum usum licet Turcæ, jussu Legislatoris sui, Muhammedis, evitare cogantur, alios tamen medicatos & nutritios potus, *Sorbet* nempe & fabarum *Coffee* decoctum, iisdem substituunt, quorum locum tandem apud plerosque-Indiæ occidentalis incolas decantata & inter nostrates quoque admodum nunc usitata *Chocolata* supplet, cujus propterea virtutes, proprietates & usum genuinum, præsertim cum ab aliis inter medicatos potus referatur, ab aliis verò tanquam inutile & noxium præparatum profus rejiciatur, Dissertatione hæcce inaugurali pro ingenii modulo viriumque imbecillitate adumbrare constitui, eaque propter benignissimum Numen supplex nunc veneror, ut in hoc negotio Gratia suæ Spiritu mihi adesse meisque ausibus exoptatissimum **FELICITER** clementissimè addere velit!

SECTIO PRIOR,
*Ingredientia, Compositionem & Præ-
 parationem Chocolatæ tradit.*

Non lobet equidem statim in limine hujus tractationis fufius circa originem vocabuli *Chocolata*, vel ut aliis placet *Chocolatl*, aut *Chocolate*, morari, cum unanimi Scriptorum illorum consensu, qui ejusdem mentionem qualemcunque fecerunt, non nisi barbarum fit, nec ulla cultiorum gentium suo idiomati illud vindicare voluerit. Autumat equidem *Sylvest. duFOUR*, *Tr. gallico de Chocolata*, c. 1. illud ex denominationibus primarii ingredientis, *Cacao*, & menstrui excipientis, *Atte*, seu *Aste*, quod Mexicanis *aquam* significat, confatum esse; sed incertum adhuc est, an vocabulum *Cacao* ita in *Choco* detorqueat gens modo nominata, sicuti etiam illorum nondum sufficienter probata est sententia, qui, cum vox *Choco* Americanis *sonum* significet, à strepitu isto, quem peculiare illud instrumentum, quocum in vase idoneo *Chocolata* ab ipsis comminuitur & aquæ super ignem admiscetur, edere solet, originem istius denominationis deducere volunt, ut ita *Chocolatl* idem sit, ac *aqua sonora*, vel *sonans*. Dein, licet *Caspar CALDERA de HEREDIA Tr. de Potionum varietate*, *Se&. IV. cap. 5.* nomen istud magis latinum reddere conatus fuerit, quod nempe syllaba prima *Cho* ab idiomate Latino fere sit aliena, adeo-

adeoque potius *Cyocolate* pronunciandum esse putaverit; satius tamen esse postmodum duxit, barbarum licet nomen, toto tamen quasi orbe agnitum & receptum, retinere, quam novam Indo-Latinam dictionem omnibus obtrudere velle; unde etiam quod *Nardus Anton. RECCHVS*, qui *Francisci Hernandez Histor. rer. natur. Mexicanam* edidit, *Lib. II. cap. 4.* adducit nomen *Cacaorl*, & quæ *LINSCHOTTVS & BENZO* in *Hist. Ind. Occident.* habent vocabula *Chuculate*, & *Cacavate*, ab aliis non facile usurpata occurrunt, sicuti quoque similem forsitan ob rationem, minus rectè compositum illud *Succolatam* dici à *SCHRÖDERO* in *Pharmacop.* aliisque eundem imitantibus, jam jam notavit *Frid. HOFFMANNVS*, *Clav. Pharmaceut. Schræder. ad Cap. inscriptum de Succolata.*

§. II.

Cum verò in genere sub nominato isto vocabulo Scriptores Indicarum & pharmaceuticarum rerum saltem compositum aliquod pharmacum in formâ siccâ profans; in specie vero potum quendam calidum, mediante lacte, vino, vel aquâ ex illo paratum, intelligant, meritò utique præmonendum erit, nos in præfenti Sectione illud ipsum vocabulum in priori saltem sensu, in ultimâ autem in utroque simul accipere, unde etiam heic loci *Chocolatam* describimus, quod sit *massâ quædam sicca, ex nucleis tostis Cacao, Saccharo aliisque aromaticis, imò interdum etiam pretiosis fragrantibus parata, coloris obscure rubicundi, in vino, lacte, aquâ similibusque liquoribus solubilis & potabilis, variisque diæreticis pariter ac pharmaceuticis usibus potissimum destinata.*

B

§. III.

§. III.

Priusquam igitur, juxta propositum nostrum, in naturam, virtutes & proprietates decantati hujus pharmaci exactius inquirimus, utique de genuinâ ejusdem compositione sollicitos nos esse decet, ut dein singula ejusdem ingredientia diligentius examinare sicque tantò facilius cognoscere queamus, quibus propriè commendari aut dissvaderi queat, & an re verâ omnes illas laudes, quæ communiter eidem tribuuntur, mereatur. De primis equidem initiis & præparationibus parum vel nihil constat, siquidem supra citatus *Casp. Caldera de HEREDIA l. a.* saltem refert, Hispanos victores, expugnatâ unâ & alterâ Americæ provinciâ, deprehendisse, potum ex Cacao paratum gentibus istis ab immemoriali tempore familiarem fuisse, sicut alia potentia aliis gentibus, v.g. Vinum pomorum in Cantabriâ, cerevisia in Germaniâ, &c. Vero igitur simile est, quod defectus vini aliorumque potuum huic substituentorum, nec non ignota hujus expressio & præparatio, Americanis de conficiendo tali potu cogitandi occasionem dederit, cui vel propterea aptissimos judicârunt fructus Cacao, quod hi jam jam præ aliis in pretio apud ipsos fuerint, simulque ad nutritionem aptiores eos judicaverint, prout *Franc. XIMENEZ* apud *Joh. de LAET Lib. VII. cap. 2.* his verbis id testatur: *Indigenæ harum regionum ante Hispanorum adventum Cacao fructibus loco numismatum utebantur, hodieque multis locis usurpant. Ex iisdem potum suum conficiebant, Vini ignari, licet non paucis locis Vites, sed sylvestres, nascantur.* Confer, etiam

etiam MARRADON in *Dialog. de Chocolata, & Journal des Sçavans l'année 1666.*

§. IV.

Eandem procul dubio ob causam postmodum quoque Hispani, Lusitani, & quicumque primum in Americam pervenerunt ibique commorârunt, potui huic, ruditer admodum parato, & ratione saporis perquam adhuc ingrato, advescere coacti fuerunt, prout hoc de se ipso testatur BENZO apud *Carol. CLVSIVM, Exot. Lib. II. cap. 28.* Cum verò, fractis tandem Barbarorum viribus, armis & artibus occupatas terras tueri sibi proposuerint fixamque ibi sedem obtinuerint, præter alia valetudinis studia etiam adversam adhuc Inædorem potionem, experientiâ tamen teste non infalubrem, corrigere & palato gratiorem reddere allaborârunt, sicque additione Sacchari & suavissimorum aromatum massam illam, cujuslibet ferè gustui adhuc aridentem, Chocolatam dictam, produxerunt. Fama ergo de primo Inædorum potu, ex solis Cacao fructibus parato, teste *Casp. Cald. de HEREDIA l. c.* brevi post, nempe jam Ao. 1520. in Hispania percrebuit, & quidem per militem quendam, qui in primâ Americæ invasione stipendia meruit; de reformatâ autem & Europæorum palato magis accommodatâ longè serius certiores reddebantur, sicque statim ibidem invaluit ejus usus mirumque in modum uterque sexus ejus amore captus fuit, aded, ut brevi post mercatores & artifices, aviditatis Hispanorum gnari, loco præparatæ massæ, quam hactenus obtinuerant, ingredientia ejus apportari curaverint, illamque recenter ex his parare

consultius reputaverint, imprimis quoniam in compositione illam vix ultra biennium bonitatis suæ integritatem conservare deprehenderant.

§. V.

Ex modo dictis igitur statim apparet, satis notabile discrimen esse inter alias è fructibus Cacao paratas potiones, nec non primam Indorum ac reformatam Europæorum Chocolatam, hodie adhuc usitatam. Sic prædictus Dn. du FOUR l. c. p. 354. scribit, inferioris conditionis homines apud Americanos jam quoque adhuc Chocolatam sibi parare ex nucleis Cacao, Achiotæ, Piperis Americano & Semine Anisi. Formulam autem correctæ & suavioris talis massæ, inter Hispanos primum receptæ, cum dosi ingredientium, ita proponit citatus MARRADON in *Dialogo de Chocolata*:
 Rec. Nucleor. Cacao n. 700. Sacchari albi lb̄^{ss}. Cinnam. ℥ij. Piperis Mexic. gr. xiv. Caryophyllor. ℥o. Siliquar. quæ Vanilla dicuntur, n. iij. aut horum loco Sem. Anisi ℥ij. Achiotæ ad magnitudinem Avellane. Addit etiam, nonnullos in compositionem adhuc recipere Amygdalas & Avellanas, pro cujusvis genio. Ex tostis nucleis & in pulverem redactis omnibus ingredientibus, in lapide Merate dicto, mediante succo, qui emergit, & Saccharo, formari placentas parvas, aut massam scatulis committi; quosdam etiam admiscere Aquam Namphææ, Moschum, Ambram & Pulverem Scolopendrii.

§. VI.

Quæ Romæ postmodum maximè introducta & imprimis usitata fuit compositio, traditur à PAVLO ZACCHIA, *Tr. de malo hypochondr. Lib. II. cap. 14. sequen-*

quentibus: Recipiunt Cacao excorticati, benè mundati sedulòque triti lib. xij. Cinnamom. subtiliter pulveris. lib. ʒ. Vanillarum comminutarum & per subcerciculum transactarum no. vj. Mecacace (semen Avellanam representans) M. iij. aut, si libeat, in locum Vanillarum & Mecacace, Moschata nux & Caryophylli aromatici xij. assumi possunt; Mayz contusi cretisque per setaceum floris separati, lib. iij. Ajonzoli confracti beneque triti lib. ʒ. aut vice Ajonzoli Amygdalarum Ambrosinarum pistarum lib ʒ. Achiotes ʒʒ. Subigunt Saccharo Achiotes omniaque ad invicem miscent: ex massa tabulas conformant, foliis mali aurei impositas. Quam verò in Galliâ plures svavitatis & sanitatis causâ sequuntur formulam compositionis, Dn. de BLEGNY l. c. p. 238. talem esse refert: Rec. Cacao præp. lib. iv. Sacchar. lib. iij. Vanillas no. xij. Cinnamom. ʒj. Caryoph. no. vj. Piper. Ind. gran. viij. Ambraë gr. vj. Moschi gr. iij. M. F. Massa l. a. Major tamen pars Piper Indicum prorsus omittere, nonnulli Cinnamomo Cassiam ligneam substituere; alii augere, alii minuere dosin Vanillæ, Ambraë & Moschi; quidam grana pauca Cardamomi, Zingiberis, aut aliorum etiam pharmacorum aromaticorum, quæ tamen in uno tertio conveniunt omnia, addere solent, v. g. Syrupi Vanillæ, quem Parisiis Artistæ Laboratorii Regii IV. nationum dispensant, ad palatum suorum sese accommodantes, unde plurimæ passim circumferuntur compositiones, quarum nonnullas inter arcana numerant. Quæ denique Hispali ab omnibus ferè recepta, ac gustui & sanitati magis conveniens judicata fuit, à Casp. Cald. de HEREDIA prolixius descripta est, quam ut hic inferi queat. Vid. ejusd.

Tribunal. Medic. Tr. de Pot. variet. Sect. IV. cap. 7. p. 472.

§. VII.

Hoc interim non omittendum est, quod Hispani, postquam occupatis Americæ provinciis de necessariis suis prospexerunt, tandem ad voluptuosa conversi, cum inter varia gulæ blandimenta & linguæ illecebras non invenirent, quod in potu Chocolatæ præferrent Vanillæ siliquis, utpote quas singularem illi conciliare gratiam observabant, reliqua ingredientia, in hætenus traditis formulis occurrentia, penitus omiserint, suamque Chocolatam dein non nisi ex Nucleis Cacao, Saccharo, siliquâ illâ Vanillâ, Cinnamomo & momento Piperis Indici paraverint, referentibus Dn. de BLEGNY, l. c. p. 229. & du FOUR, Tr. de Choc. p. 407. Unde etiam nunc passim in aliis Europæ locis ad hunc ferè modum pharmacum istud conficitur, nisi quod à plerisque adhuc Piper Indicum omittatur, quippe cujus insignem acrimoniam pauci Europæorum amant, vel admittunt, licet Americani & Hispani sine hoc paratam pro fatuâ habeant, postulant, ut acrimonia Piperis Americani in illâ emineat.

§. VIII.

Licet ergò, ut ex hætenus traditis abundè patet, massa ista, ex quâ Chocolatæ potus paratur, non ubique eadem sit quoad ingredientia, nisi quod Cacao fructus in omnibus formulis basin constituent, cum subinde alia atque alia in aliis atque aliis locis vel adjiciantur, vel omittantur, indeque mira varietas ratione odoris, saporis, coloris, durationis, pretii & figuræ pro-

producat; videtur tamen modo descripta, in quâ Hispani, facto multiplici periculo, in pluribus ferè acquiescunt, cæteris palmam præripere, nisi forsitan intentio medica adhuc alia quædam adjicere, aut pondus fructuum Cacao augere vel minuere jubeat, prout ad nutritionem magis minusve respicitur. Hinc illam ipsam compositionis formulam speciminis loco heic retinere, & singula ejus ingredientia ratione indolis & proprietatum suarum specialius nunc examinare lubet, ut tandem de compositi virtutibus certius quoddam ferre queamus judicium.

§. IX.

Quod itaque primarium attinet ingrediens, *nucleos* nempe *Cacao*, sunt illi propriè fructus exotici, peponi similes, polypyreni, arboris Indiæ occidentalis, *Cacoiferæ* dictæ, amygdalis ferè similes, tam magnitudine, quam formâ & consistentiâ, sed paulò tumidiores, inclusi involucri corticofo, duro, rugoso, nigro ac rufescente oblongo, saporis sub-pinguis, oleosi & sub-amari, odoris nullius, virtutem pineis, pistaceis atque amygdalis majorem exferentes. Variis quoque aliis communiter ab Autoribus, maximè Botanicis, insignitur nominibus, ita ut modo *Cacahuatl* & *Catavate*, modo *Cacavi*, *Cacho*, *Cacaval*, modo etiam *Cacacius*, *Semen Cacoati*, & *Avellana Mexicana*, forsitan ob analogiam cum nostris avellanis, appelletur, quemadmodum arborem nucleos hosce ferentem incolæ Americæ *Cacavaqua-*
buitl, Latini autem *Cacaoferam* & *Cacaviferam* salutant. Quanto in pretio hæc cum fructibus suis apud Americanos sit, quantoque cum studio ejus culturam ob-

servent,

fervent, inter alios optimè *Joh. de LAET, Histor. Ind. Occident. Part. V. Lib. II. cap. 16. & Part. IX. Lib. IV. cap. 22.* descripsit, his verbis: *Nicaraguam, novi orbis provinciam non usque adeo magnam, cum subegissent Hispani, propter insignem, quâ excellit, fertilitatem uberemque omnium rerum proventum, Paradisum Mahumetis nuncuparunt. Peculiarem producit fructum, Cacavate dictum, ex quo abundantem colligunt questum. Arbor, quæ hunc profert, modicæ est magnitudinis, in humidis & opacis saltem nascens locis: quæ, si Solis radiis nimium feriatur, contabescit, unde ferè in sylvis aliisque locis, quæ apricanti minus prostant soli, feritur. Juxta easdem alias editiores plantant, formâ Tiliis nostratibus non dissimiles, quæ, si adultæ, Cacavates inumbrant, ne quis solis æstus iis obesse possit. (Hinc peculiari nomine gaudent hæ ultimæ arbores, & ob usum modò allegatum ab incolis Cacaoquantibli, item Alin, Atlina, sive Cacao mater vocantur.) - - - Fructus ejus habetur apud Indos non solum, verum etiam apud Hispanos, magno in pretio, ut thesauri loco illum recondant & asservent Novæ Hispaniæ mercatores. Quodsi siccatu ad solem fuerit, longo durat tempore, unde naves eo repletæ ex Guatimali Provinciâ advehuntur. - - - Moneta insuper vicem implet hic fructus, quinque enim Cacao rem quandam emere possunt; triginta pretiosorem, centumque rursus aliam absque omni controversiâ. Quin imò liberatioribus qui sunt, pauperibus pro Eleemosyna distribuunt.*

§. V.

Substantia horum nucleorum intus est tenuis, & mucosâ quâdam terrestreitate juncta, spadicei ferè coloris, in disparès, (sublatâ nempe pelliculâ obscurè rubicun-

bicunda,) particulas divisa, oleo admodum copioso,
 pauco sale volatili imprægnato, scatens. Pulpa hæc
 sub pinguis, sub amari, non ingrati saporis, sed nullius
 ferè odoris est. Virtutem autem, ut ex modò recen-
 sitis ejus constitutivis principiis patet, adèd eximiam
 nutrientem possident, ut multis etiam carnibus aliis-
 que alimentis præferantur, simulque D. STUBBE, An-
 glus, in *Tr. de Chocolate potu*, pro certo affirmet, unum
 Cacao nucleum plus nutrimenti & virium afferre hu-
 mano corpori, quam integram libram carnis; siqui-
 dem etiam observationes prostant, quosdam in Ame-
 ricanis Coloniis solo horum fructuum usu per plures
 menses non solum vixisse, sed & pinguiore evasisse, de
 quibus conferri meretur Anonymi Tractatus, cui titu-
 lus: *Naturmäßige Beschreibung des Caffee, Thée und
 Chocolate &c.* Sed probè insuper adhuc tenendum
 est, recentes hosce fructus temperationis semper qua-
 litatis esse, quam vetustos annosos, quos tamen, ob ca-
 lescentem magis virtutem, ad Chocolateæ composi-
 tionem ipsi etiam Mexicani prioribus præferunt, to-
 stione dein quadantenus corrigunt, & sub comminu-
 tione, dum terrestris & pinguis illorum portio novâ
 ratione uniuntur, simul novam quasi substantiam, hu-
 morum nostrorum mixtioni apprimè convenientem,
 producant.

§. XI.

Alterum apud nos non adèd cognitum ingrediens
 hujus massæ est *Vanilla*, Hispanis *Bainillas* dicta, ab In-
 dis autem *Tlixochil* vel *Tlixochitl* appellata, quæ consti-
 tuit fructus plantæ cujusdam volubilis Mexicanæ, à

C

Bar

Barbaris *Mecaxochitl* dictæ, & consistit ex vaginulis quasi, seu filiquis oblongis, tenuibus & teretibus, subnigri coloris, semine minutissimo turgentibus, instar feminis Sinapi, odoris suavissimi & aromaticâ fragrantia penetrantis. Hos fructus, referente *Petro POMET*, Mexicani, postquam in umbrâ ritè exsiccati sunt, oleo quodam inungere solent, ne nimis exsiccantur aut rumpantur, dein durationi ita accommodatos, in fasciculos adaptant, numero 50. 100. 150. & in Europam transmittunt. Gaudent enim, ut Hispanorum & Gallorum Medici præcipuè uno ore fatentur, eximiâ calefaciendi & exsiccandi qualitate, cujus intuitu, præterquam quod gratum Chocolatæ concilient saporem, insignis quoque virtus cor roborandi, ventriculum calefaciendi, oris halitum commendandi, crassos lentosque humores attenuandi, venenis resistendi, menstrua & partus mortuos pellendi, urinam promovendi, & alia his similia, iisdem adscribuntur.

§. XII.

Tertium ingrediens sistit *Chille*, seu *Piper Mexicanum*, quæ denominationes modò *Capsico* nostro, quod vulgo *Piper Hispanicum*, item *Siliquastrum*, *Piper Indicum*, *Peruvianum*, *Americanum*, *Brazilianum* & de *Tabasco* appellari solet; modò etiam illi fructui, quem *Casp. BAVHINVS* *Piper racemosum caudatum ex Guinea* vocat, tribuuntur, heic tamen loci de illâ priori specie potissimum intelliguntur, cujus pleniores & præ omnibus alijs accuratam descriptionem *R. P. Gregorius de REGIO*, Professione *Capucinus*, in *Comment. de varietate Capsicorum*, *Curis posterioribus Car. CLVSII* annexo & ab hoc lati-

latinitate donato. Ob eximiam, quam possidet, acrimoniam, admodum calefacientis, incidentis & exsiccantis est qualitatis, unde solummodo in frigidâ viscerum intemperie corrigendâ, languore ventriculi reformando & flatibus discutiendis illud laudat *Guilielm. PISO*, addendo tamen, quod tutius & jucundius hoc præstet, si ritè præparatum ciborum obsonia ingrediatur, quod fit aceto, cui integrum piper immersum fuerit; tum quoque si in pulverem redigatur cum modico *Salis Brasiliensis*. Omnem ergo admirationem facile superaret, quod Auctores nonnulli tradunt, Chille, seu Piper illud siliquosum, à Barbaris pro cibo ordinario usurpari, manducari etiam crudum, sicut apud nos raphani manducantur, illosque unam speciem præ alterâ in escam eligere, & sibi persuasum habere, quod copiosum corpori subministraret alimentum; hinc etiam condimentum ipsis esse quasi universale, ad appetitum acendum, & ad commendanda fercula usus quotidiani, adeò ut nullam sine hoc Pipere siliquoso reperire liceat mensam: Nisi etiam apud nos quosdam Pipere & pipertis impensè delectari quandoque videremus, cujusmodi notabile exemplum de gravidâ, integram ferè Piperis libram devorante, in *Dn. D. BÜCHNERI Miscellaneis Phys. Med. Mathemat. Anno 1727. Mens. Septemb. Class. IV. Artic. 7. extat.*

§. XIII.

De *Saccharo*, utpote quarto ordinario ingrediente *Chocolatæ*, non opus erit specialius quædam monere, cum ratione essentia viriumque suarum cuilibet jam jam cognitum sit, ac insuper facile appareat, quod pro-

pterea maximè addi soleat huic massæ, quoniam s̄vavis
 ejus dulcedo plurimorum palato arridet, hujusque ope
 sub-adstringentem tostorum nucleorum Cacao s̄apo-
 rem & reliquorum ingredientium acrimoniam aroma-
 ticam attemperat, ipsique huic composito debitam
 suam formam, conservationis causâ receptam, largitur,
 licet vix aliam eidem polliceatur conservationem, quam
 aliàs in Conservis, Confectionibus, &c. ad unum scilicet
 alterumve annum, siquidem biennio aut triennio
 elapso, si præcipuè ab aère humido non probè defen-
 ditur hæc massa, communiter rancida, cariosa, imò
 verminosa evadit. Vid. *Ephemer. Nat. Cur. Dec. III. Ann.
 V. & VI. Append. p. 103.* Quod reliqua tandem attinet
 simplicia, ab aliis Auctoribus pro compositione Cho-
 colatæ speciatim adhuc commendata, *Achiotam* vide-
 licet, seu, juxta barbarum nomen, *Achioil*, *Amygdalas*,
flores arboris cujusdam, mali aurantia floribus similes, &
Oreivata flores, vix opus esse judico, ut studiosè in ea
 inquiramus, quoniam partim non omnium planè ea-
 dem est sententia, quid sub illis intelligatur & qualia
 propriè requirantur, partim aded rara sunt, ut etiam
 fuerint, qui talia in rerum natura existere negaverint,
 partim denique nil pollicentur, cujus superius enume-
 rata ordinaria ingredientia nos non reddant participes.

§. XIV.

His ergò ratione materiaram, ex quibus Chocola-
 ta componitur, præmissis, paucis quoque *methodus ea
 componendi* miscendique describenda erit, ubi omisâ il-
 lâ, quæ Hispanis in Americâ primum in usu fuit, quam-
 que fusius COLMENERVS *Tr. de Chocol. cap. 3.* propo-
 suit,

fuit, de eâ saltem, quæ hodiernis temporibus adhuc solennis est, monemus, quòd nuclei Cacao lege artis tosti, ita ut nihil adustionis habeant, & à pelliculis exactè liberati, in mortario calefacto propè ignem contundantur teranturque, sicque prodeunte oleositate, additoque Saccharo subtiliter pulverisato, in massam mollem cogantur, cui dein aromata (Ambrâ vel Moscho, si placuerit, imprægnata) in formâ pulveris subtilissimi, per intervalla adjiciuntur, continuatâ notato pistillo triturâ, donec probè unita sint omnia. Hæc massa dein calens & mollis adhuc, partitis vicibus cochleari ex mortario eximitur, & vel super chartâ scriptoriâ, quæ ejus unctuositate planè imprægnatur, adhibita bilance, in certi ponderis panes aut placentas manuum operâ formatur, aut in modulos ad id aptatos immittitur, sicque paulò post, sub libero aëris accessu obdurescit, non secus ac cera & plurima saccharata, quæ, dum calent, mollia sunt, in frigidiusculo autem aëre obdurantur. His peractis adhuc per unum alterumve mensëm reponitur, antequam in usum trahitur, quod in primis seriò postulat COLMENERVS l. c. p. 118. confer. etiam Dn. de BLEGNY, p. 279.

§. XV.

Quâ ratione dein ex compositâ hac massa ordinarius *Chocolatæ potus* ab Europæis primum præparatus fuerit, fusius refert citatus jam COLMENERVS p. 24. Gallorum autem modum, ad quem etiam hodie in thermopoliis publicis passim præparatur & ministratur potus iste, Dn. du FOUR exactè describit sequentibus verbis: *Ex communi more in Cucumam, vel ollam Chocola-*

zæ destinatam, tot pocula aquæ profundunt, quot sunt personæ, quæ Chocolatam haurire constituerunt: hinc curant ut bulliat aqua, & quamprimum incipit bullire, injiciunt Chocolate, certo instrumento comminutæ, Unciam unam cum quadrante pro singulis poculis. Sine morâ agitatur in Cucuma, bacillo ad hoc ritè aptato, ad dissolutionem; retractâ ab igne cucumâ, agitatio continuatur, donec probè spumescat: spumæ pars crateri excipitur, qui decocto liquore repletur: hinc iteratur agitatio, donec iterum spumescat: idemque labor repetitur, donec exhausta sit cucuma & crateres sint repleti omnes. Hinc sorbetur, quantum fieri potest, calidè. Sunt, qui antequam assumant, hauriunt dimidium poculi aquæ frigide; (quod à Viennensibus præcipuè strictissimè observatur) alii panem saccharatum biscoctum intinctum in craterem premitunt; quamvis hæc ratione potus meliori succo destitutus, sœvitatem atque gratiam amittat, ut satius videatur, potum Chocolate bibere, sicut ex cucumâ profunditur. . . . Voluptuosi adjiciunt in cucumam aliquot guttas Essentiæ Ambræ, aut crateri injiciunt pastillos ex Ambrâ paratos, quâ ratione virtus potionis exaltatur. Imò sunt, qui, ut sœvitatem augeant, Saccharo substituunt Sorbet ex Ægypto. Sunt denique, qui substituunt aquæ calidæ Lac calidum, addentes vitellum ovi, quem laudare nunquam potui modum.

§. XVI.

Exinde ergò liquet, aquam communissimum & convenientissimum pro potu isto parando præbere menstruum, vinumque vel lac non nisi voluptatis, aut ad summum obtinendæ majoris roborationis, vel nutritionis gratiâ assumi, quo scopo non nisi in frigidioribus

ribus & phlegmaticis, aut summe emaciatis talia concedi poterunt, aliis autem vel prorsus interdicens, aut raro saltem permittenda. Cavendum etiam est, ne vel sæpius de die, vel in admodum magnâ quantitate potus iste assumatur, quoniam juxta HIPPOCRATIS effatum, *Seç. II. Aphor. 51.* omne nimium Naturæ inimicum est, adeoque sperati in locum emolumenti, varia perniciofa accidentia, inprimis autem fonticæ viscerum obstructions, introducuntur, prout hoc *Thomas Gage* apud *Dn. du FOUR, cap. 4.* per experientiam se observasse testatur. Probè etiam notandum est, quod calidè assumtus ejusmodi potus semper præferendus sit actu frigido, utpote ventriculo, inprimis debiliore, semper magis adverso & noxio. Licet enim in tali majorem semper gratiam quærant Americani, & propterea etiam ab Hispanis, & præcipuè complurimis ipsorum foeminis generosis, arte refrigeratus ejusmodi potus, glacie nimirum vel nive, in delitiis habeatur, testibus *Dn. du FOUR, l. c. p. 369.* & *Casp. Cald. de HEREDIA, p. 474.* nullâ tamen ratione consuetudinè istam probandam esse censemus, etiam si nunquam desint, qui jactent, se nullam à tali potu noxam sentire, quibus tamen illud, quod jam pridem *GALENVs* inculcavit, meritò opponimus: *Multa nocere, quæ non sentiuntur nocere, sed tandem sentiuntur nocuisse.*

§. XVII.

Quo tempore diei præcipuè potum hunc assumere conveniat, optimè docet modo allegatus *de HEREDIA*, dum *l. c.* ita scribit: *Hora hujus potionis electior est mane*

mane & à somno, peractâ coctione, ventriculo scilicet jejuno, aut post levem cibi oblationem, in hoc enim statu gratissimè accipitur, ad diei labores sustinendos, & absuntur crudum, quod ex nocte superfit. - - - Non deest, qui loco vini super carnam & prandium illâ potione utatur: nescio an securè: excepto, ubi experientia illius usum securiorem fecit, aut sit ita moderata illa ciborum quantitas, & electæ substantiæ, ut concoquendi actionem adjuvet: Attamen ventriculo in concoquendo robusto, prandii coctione peractâ, jam serò potest innoxie concedi, veluti pomeridianâ horâ quintâ: tunc enim erit in noctis studium auxilium. Sic quoque probè tandem notandum est, haud conventre, ut alia potentia, qualiacunque etiam illa fuerint, huic potui superingerantur, cum, teste jam nominato de HEREDIA, communiter gravissima inde excitentur symptomata, siquidem in cive Hispalensi vertiginem, in alio Colicam & in plerisque vocis privationem abinde se observasse testatur.

SECTIO II.

Virtutes medicas Chocolatæ demonstrat.

S. I.

Lustratis ita & consideratis usitatoribus Chocolatæ ingredientibus, meritò utique nunc vires & virtutes ejus medicæ examinandæ & demonstrandæ erunt, quas intuitu illorum, quæ hætenus de qualitatibus & principiis dictorum simplicium prolata sunt,

funt, triplicis generis esse reputamus, *alibiles* nempe, seu *nutritias*, simpliciter *medicas* & *libidini servientes*, quarum illas *primarium* & *principale* hujus potûs ingrediens, *nuclei* nempe *Cacao*, has verò reliquorum & *inprimis* *aromatum* *mixtura* *producit*. In genere autem *Chocolatam* *qualitatibus* *primis* *temperatam* esse, dum nempe paulò *frigidior* *nucleorum* *Cacao* *proprietas* *additione* *reliquorum* *calidiorum* *ingredientium* *ita* *corrigitur*, ut nullus adedè *notabilis* *alicujus* *qualitatis* *excessus* *in* *eadem* *observetur*, indè *plerumque* *confirmari* *solet*, quòd *cujuscunque* *regionis*, *ætatis*, *sexûs*, *temperamenti*, *homines* *eandem* *bibant* *non* *solum* *sine* *noxâ*, *sed* & *cum* *emolumento*, *nec* *unquam* *caput* *tentet* *ullamque* *in* *pulsu* *alterationem* *inducat*.

§. II.

Ad *nutritionem* *promovendam* *augendamque* *multum* *conferre* *Chocolatam*, *ejusque* *inprimis* *potum*, *haud* *opus* *erit*, *ut* *multis* *probemus* *rationibus* & *exemplis*, *cum*, *ubi* *sensus* *fidem* *facit*, *his* *planè* *non* *opus* *sit*. *Experientiâ* *convictus* *Casp. Cald. de* *HEREDIA* *l. c. p. 477.* *hoc* *testatur*, *his* *verbis*: *Solâ* *porione* *Chocolatis* *potest* *vita* *servari* *per* *mensēs* & *per* *annos*. *Nos* *puerum* *vidimus* *ablactatum*, *qui* *non* *valuit* *ad* *cibum* *capiendum* *ullo* *ingenio* *compelli*, & *per* *quatuor* *mensēs* *solo* *Chocolatis* *potu* & *raro* *pane* *mixto* *in* *posterum* *servatum*. *Tanta* *est* *illius*, *tamque* *valida* & *robusta* *in* *alendo* & *roborando* *virtus*. *Idem* *etiam* *confirmat* *Dn. du* *FOUR*, *dum* *l. c. p. 425.* *scribit*: *Omnium*, *qui* *Chocolatam* *biberunt*, *confessionem* *esse*, *illam* *præclare* *nutrire*, *nul-*
D
lumque

lumque jus, aut brodium carniū, quācunq̄e ratione paratum, hāc in parte Chocolatam æquare. Plures homines, valetudinis causā, per plures dies nihil, nisi pocula Chocolatæ assumsisse & vitam sustentasse, quod exemplo amici sui obsignat.

§. III.

Quodsi autem forsitan quispiam de tam eximiā nutriente virtute dubitet, quoniam nempe ad liquidorum classē propriē pertineret hic potus, quæ minus nutrire valeret, quam solida, illi breviter respondeamus, Medicos sub vocabulo *porus* non solum intelligere liquorem, qui sitis extinguendæ causā assumitur, sed & insimul alimentum, & quidem liquidum, præstat, quod propterea cibo, tanquam solido alimento, opponitur, expresso, inter alia, testimonio HIPPOCRATIS, qui *Sect. II. Aphor. 2.* scribit: *Facilius est, potu refici, quam cibo;* quemadmodum etiam id de cerevisiā notum est, cui similes jam olim adscripserunt vires Medici Scholæ Salernitanæ, quando scribunt:

Crassos humores nutrit cerevisia, vires

Præstat, & augmentat carnem, generatque cruorem.

Hinc quoque est, quod supra allegatus de HEREDIA, *Tribun. Med. p. 473.* quæstionem illam, ut vocat, Medico-Theologicam, fufius tractans: *An porus Chocolatæ solvat jejuniū ecclesiasticum?* non ausus fuerit affirmativè ad eam respondere, sed in principiis Medicis & experientiā acquieverit, quibus nempe edoctus fuit, præ omnibus aliis potulentis eximiē nutrire Chocolatam, ac idcirco plenariam decisionem à Theologis & Judicibus

cibus Romanæ Ecclesiæ expectavit; ast brevi post *Franciscus Maria Cardinalis BRANCACCIVS*, in *Diatriba de Usu Chocolatis*, Romæ Ao. 1666. impressâ, id ipsum planè negavit, atque ex placitis & suppositis Ecclesiæ Romanæ confirmavit, eaque propter usum Chocolatæ, modò non sit nimius & in abusum mutetur, etiam jejunii tempore concessit, quoniam aliàs & vini & cerevisiæ modicus usus pariter tunc prorsus abrogandus esset.

§. IV.

Ex iis ergò, quæ de virtute nutriente hujus potus nunc dicta sunt, facilè apparet, satis egregias ipsum etiam exserere posse vires simpliciter *medicas*, non solum in illis morbis, ubi solida alimenta vel ob nauseam, vel ventriculi debilitatem aliasque circumstantias, planè non admittuntur, ut sunt omnes chronici, phthisici, hectici, atrophici, aliique hujus commatis affectus; sed & in talibus, ubi viscerum adsunt obstructions, quarum apertionem & reserationem, si præprimis atonia magis, aut præternaturalis fibrarum laxitas, quam nimia harum strictura, conjuncta fuerit, eximè adjuvat, ob conjuncta præcipuè ingredientia aromatica, resolventia & confortantia, qualemcunque adstringentem fructuum Cacao qualitatem, ob connexa terrestria principia iisdem adscriptam, optimè corrigentia. *Si enim illa aperientia*, (ut *Dn. de HEREDIA* verbis utar, ex *cap. 9. l. c.*) quibus *Galenus* fidei, posse obstructions Hepatis, Lienis, Mesenterii & Uteri reserare, potioris efficacis non sunt, pari ratione, equali fun-

damento & majori forsan securitate, posse Xicaram Chocolatis ad aperiendum & referandum propinari, ut Chalybis & scoriae pulvis, & jura diuretica, judicabimus, obstructis mulieribus, viris hypochondriacis, ex Hepate, Liene, Utero, Pylori & Mesaræi venis, in quibus varia & sæpè contraria succrescunt; accidentia: & præter illam alia etiam consequetur utilitas, ut steriles Dominae, ob frigidam, humidam & flatusosam Uteri intemperiem, & quæ frequenter ob similem causam abortus patiuntur, felicique orbantur prole, hoc etiam auxilio medeantur: saltem in statum meliorem mutabuntur, salubriori & contrariâ temperie inductâ: iis etiam auxilio erit, quibus menses ciere, ac urinam provocare, est in animo & consilii necessitas.

§. V.

Cum etiam insuper pleraque Chocolatæ ingredientia egregiâ virtute stomachicâ gaudeant, facile exinde liquet, hanc ipsam quoque pharmaco isti jare meritoque tribuendam esse. Hinc etiam ipsos Americanos, quorum ventriculi, ob nimis calidam & simul humidam aëris, in quo versantur, conditionem, debiliores sunt, in hoc potu auxilium invenire, vero admodum simile est, cum blando fotu hujus quoque visceris intemperiem corrigat, nisi forsitan stagnans ibidem humorum saburra, pituitæ inprimis lentæ & viscidæ copia, aut bilis acrimonia, vim illius reddat hebetiorem. Quantam dein quoque ad roborandas vires spiritusque animales excitandos potus iste præstet utilitatem, per experientiam multoties jamjam comprobatum est, ipseque Dn. du FOUR, præter alia quoque

que exinde egregiè demonstrat, quòd permulti verbì divini Præcones, qui, pro cathedrâ in templis declamantes, omnes intendunt nervos, magnam semper exinde percipiant utilitatem, dum sumpto poculo Chocolatæ ante dictam suam functionem, postmodum vigorem virium magis continuari, omnibusque peragendis tandem peractis, refectionem præsentaneam exinde sentiunt. Sic quoque Dn. de HEREDIA jam pridem testatus est, quòd, qui studiis addicti sunt, vel Reipublicæ aut alia magni momenti negotia tractant, hausto Chocolatæ potu semper promptiores se redditos fuisse observaverint.

S. VI.

Tandem etiam *voluptati tam gulæ, quam Veneris,* multum itidem favere potum huncce, nemo, ut spero inficias ibit; ad hanc enim excitandam & sustinendam, propter aromatum mixturam, pinguibus sociatam, quam maximè contribuit, quippe quæ Sanguinem humoresque corporis nostri eximiè commovent & ad turgescentiam disponunt, illi verò, nempe gulæ voluptati, ob saporis summan suavitatem & gratiam, quam præcipuè Hispani huic potui conciliare allaborârunt, quam maximè inservire, per se jam notum est, ut propterea tantò magis fidem mereantur, quæ sæpè nominatus de HEREDIA p. 467. refert, his verbis: *Ab hoc tempore cepit utrumque sexum ita arctâ voluptate ligare, utilibus & commodis allucere, ut nudari veste homines potius se paterentur, & gratiâ orbari supellectile, quam bis aut plus in die Chocolate non sumere.* Sic & Joh. de LAET, *Histor.*

nov. Orb. Lib. IV. cap. 2. scribit, Chocolatæ potum infanum in modum ab incolis istarum regionum amari & in summo pretio haberi: Indigenas hoc potu suos hospites, etiam magnates, excipere: Hunc Hispanos & Hispanas ita deperire, ut, postquam semel ei adsueverunt, se sine illo vivere posse negent. Imò, juxta Dn. duFOUR relationem, Tr. de Chocol. p. 369. Americani tanto erga hunc potum capti sunt amore, tantâque in copiâ eundem ingurgitant, ut in solâ Hispaniâ novâ, unius saltem anni spatio, plus quam duodecim millia librarum Sacchari sub ejus præparatione consumantur. Meridè ergo heluonibus istis illorumque cæcis imitatoribus, finem tractationi huic impositurus, ut id saltem confiderent commendo, non ita temerè, quod sanitatis titulo commendari cœpit, vi quâdam & copiâ ingerendum esse, quasi nec ejus copia nocere posset, cujus usus in exili est salutaris.

T A N T V M.

S. D. G.

AD
NOBILISSIMVM CLARISSIMVM
DOMINVM
DOCTORANDVM.

Pulpita doctorum conscendis? Hygæa co-
ronat,

Exornatque Tuum Laureâ Apollo caput?
Hoc est, quod meruit doctrina, scientia, virtus,
Hoc animi dotes promeruere Tuæ.

Lauro profulgens sis felix! Vive beatus!

Et Tibi sub triplici sorte Galenus eat!

*Quibus omnia fausta Nobilissimo Domino
Neo-Doctorando apprecari voluit*
F. R. W.

Quæ Tibi Gera dedit lucem, quæ Gera sa-
lutem

Commisit patriæ chare *Josèphe* Tibi;
Hæc Tibi promentos tandem superaddit hono-
res,

Cum Te tam clarâ dexteritate Virum
Mon-

Monstres, ut prodesse queas *Juvenique Seni-*
que;
Præfens est testis pagina docta Tibi.

*In singularis affectionis Symbolum
dedit*

J. G. BRICKMAN.

Dulcis amice, mihi qui longo cognitus usu
es,

Postulat ingenuæ candor amicitiaë,
Ut Tibi cordicitus tribuam præconia digna,
Excellens virtus quæ Tua promeruit,
Ingenii vires, doctrina, industria, famæ
Atque Tuæ laudi tempora longa parant;
Nam specimen præfens hoc comprobat artis
abundans,

De quo jure Tibi gratulor ex animo.
Perge Tuas artes medicas producere cura,
Cura sic tandem gloria major erit.

*Ita Clarissimo Domino Candidato, amico
suo estimatissimo, applaudebat*

J. F. VOGELIVS,

*Briloniensis ex Ducatu Westphalia,
Med. Stud.*

DS (0) 50

Nr. 19 als Titel nicht zu
identifizieren!

01 A 6537




f

TA → OL

hier Stock 12 bisher verknüpft

1007



31
7
7

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

**CHOCOLATA
INDORVM,
EIVSQUE VIRIBVS MEDICIS,**

QVAM,

AVXILIANTE NVMINE DIVINO,

**RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,
PRÆNOBILI, CONSVLTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO VIRO,**

DN. D. HERMAN. PAVLO JVCH,

SACRI PALATII CAESAREI COMITE, FACVLTATIS MEDICAE SENIORE, PA-
THOL. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORE PRIMARIO, SERENISS.
SAX. DVC. VINARIENSIS, ISENACENSIS ET GOTHANI CONSIL.
AVLICO ET ARCHIATRO, N. N. ACAD. CAESAR.
NAT. CVRIOS, COLLEGA,

**AMPLISSIMO MEDICORVM ORDINE IN PER-ANTIQA
HIERANA GRATIOSE INDVLGENTE,
PRÆSIDE**

DN. D. IVONE JOANNE STAHL,

EMINENT. ELECT. MOGVNT. CONSIL. ET ARCHIAT. FAC. MED. ASSESS. ORD.
ANATOM. CHIRVRG. ET BOTAN. PROFESS. PVBL. ORDIN.
NEC NON CIVITATIS CONSVLE,

PATRONO AC PROMOTORE SVO COLENDISSIMO,

PRO LICENTIA

**SVMOS IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA
DOCTORALIA RITE OBTINENDI,**

PPUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

JO. MARTIN. JOSEPH. ESCHWEILER,

Erfurtenfsr.

**IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.
DIE VII. NOVEMBRIS, M DCC XXXVI.**

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

